

à Magistro ipso præscriptum? Quibus notis agnoscitur vera Ecclesia. Qua in re mihi pleno ore, vt aiūt, celebrāda est Dei bonitas, qui tam mirabiliter ex rabiosis & famelicis luporū faucibus me eripuit. Neque id modò: sed (Dauidē imitatus, qui sæpius gratijs actis de ereptione sua, quales inimici sui fuerint, solet ostendere) operæ pretium mihi facturus videor, si pedicas, tendiculas, & laqueos hostium, quibus me implicare statim à principio renascentis Euangelii Christi conati sunt, omnibus proferā: simulque insidias detegam quas piis, & Christum saluatorem sequentibus struere non desinunt. Ac primū, quid feceram, quæ erat iniquitas mea, & quod peccatū meum coram illis, vt me persequerētur ad ignes vsque, dum vis flammæ ab illis excitata, arderet in vrbe nostra, anno M. D. X X X I I, nisi quòd Biblia maiori volumine, in quibus fides & diligentia mea bonis omnibus & literatis nota est, imprimere ausus fuerā: idque tū permissu, tum consilio seniorum Collegij ipsorū? Cuius rei locuples testimoniū reddebat priuilegiū Regis, quod certe nunquā impetrassem, nisi palàm factum esset, primarijs

a. iiii.